

ad Nicomachum filium, hic ad Marcum filium libros de officiis mitteret.

Quibus omnibus si historiarum studium & rerum gestarum lectio adjuncta fuerit, non video, quid ad verum sapientiæ decus consequendum frena Reipub. moderandæ tractaturo deesse possit! Quantus vero noster Rex incomparabilis in hoc studiorum genere extiterit, norunt omnes, quotquot actiones ipsius etiam in juvenili ætate acerrimis, quod ajunt, oculis contemplati sunt. Ille enim dignitatem suam non in purpura & aureis torquibus positam esse existimabat: sed ut singularis aliquid sapientiæ in mentis arcula semper circumferret.

Quia vero animi bona nobis non comparamus, ut recondita ipsa possideamus: sed iis partim tacitè perfruamur, quæ est sapientiæ; partim in vitæ officiis utamur, quæ prudentia virtutum oculus, sive actionum nostrarum magistra & moderatrix: Ideo Rex noster hujus etiam virtutis radios maturè de se spargere cæpit: ita ut quilibet facile arbitrari posset, quod animus ipsius profundissimum sapientiæ & prudentiæ domicilium crescente ætate futurus esset. Mens enim ratione informat animum, animus confirmatus & ad bonum satis munitus prodit ad agendum: neq; non ad dicendum sæpenumero, quando quæ ad rem faciunt, præcipienda, aut consilia, quibus cæteræ actiones diriguntur, explicanda sunt. Namq; qui colit studia, ea non colit, uti Aspendius cytharædus, qui sibi tantum canebat: vel ut
gryphes